

www.e-rara.ch

Explanatio Vetervm Sanctorum Patrum

Oecumenius

Venetiis, M D LVI

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-137749>

De persecutione ecclesiae, & sepultura Stephani: de Philippi prædicatione & miraculis in Samaria, ... Cap. VIII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

De persecutione ecclesie, & sepultura Stephaní: de Philippí
 predicatione & miraculis in Samaria, vbi multi credi-
 derunt: inter quos erat etiam Simon magus: ad
 quos missi Apostoli impositis manibus spi-
 ritum sanctum in ipsos deduxerunt: de
 Simonis increpatione, & eunuchi
 bapuzatione a Philippo.

Cap. VIII.

FActa autem est illa die persecutio magna in eccle-
 sia quae erat Hierosolymis. omnesque per regiones
 Iudaeae & Samariae dispersi sunt, exceptis apostolis.
 Viri autem pii Stephanum composuerunt, & plactum
 magnum super ipsum fecerunt. Saulus uero deuasta-
 bat ecclesiam, in domos ingrediens, & trahens uiros
 & mulieres in custodiam tradebat. qui tamen disper-
 si erant, euangelizantes uerbum pertransibant.

Vide quo modo Deus insidias hostium in bo-
 num exitum reducit. dispersi enim multo plures
 expiscari sunt, quam priusquam persecutionem fuissent
 passi. Apostoli non fuerunt dispersi, sed in Hiero-
 solymis permansere. vbi enim maius bellum in-
 gruit, prodire in aciem primores bellatores oportet,
 aliusque fortitudinis & fiducia exemplum
 proponi. Caterum si pii erant qui sepelierunt
 Stephanum, cur planctum fecerunt: an quia non
 dum erant perfecti. Vel planxere, dum indignita-
 te rei mouerentur, quia praesidentia tali, tali do-
 ctrina, & signis talibus fuerant priuati: vide-
 bantque illum tam mansuetum & benignum tam
 saeva lapidatione mortuum iacere.

Philippus autem cum in urbem Samariae descendisset, pra-

dicabat ipsis Christum. attendebantq; turbae ipsae dicebantur a Philippo unanimiter dum audirent, & uiderent signa, quae faciebat. Spiritus enim immundi ex multis qui ipsos habebant, clamantes uoce magna exiebant: et multi resoluti. et claudi curati sunt: factusq; in urbe illa gaudium magnum est. Vir autem quidam nomine Simon prius erat in urbe qui magica utebatur, & gentem Samariae in stuporem inducebat dicens se esse magnum quendam: cui attendebant a paruo usq; ad magnum omnes dicentes, hic potentia Dei magna est.

Philippus hic non est Apostolus inter duodecim connumeratus, sed unus ex septem cum Stephano electus ad uiduarum dispensationem. quod uerum esse inde patet: quod cum Apostoli soli in Hierosolymis relictis essent, reliqui uero discipuli alio fuissent dispersi, sicut superius dictum est: (omnes uero per regiones Iudaeae & Samariae dispersi sunt, exceptis Apostolis): inter dispersos erat etiam hic Philippus: qui Simonem etiam in Samaria de fide instruxit: & cum ex diuino oraculo eunuchum baptizasset, a spiritu Domini in Azotum est deductus. In Caesaream proficiscebatur, unde erat natus. dolore enim ex Stephani persecutione & morte affectus, timensque ne in similes molestias ipse incideret, domum reuertebatur. Praeterea si qui baptizauit in Samaria Philippus unus ex Apostolis fuit, eandem auctoritatem dandi spiritus habuisset, & non opus fuisset, ut Petrus & Ioannes descenderent ab Hie-

rosolymis, eisque gratiam spiritus exhiberent. Hic igitur baptizat tantummodo, utpote discipulus: gratiam autem perficiunt Apostoli, quibus huiusmodi doni auctoritas data fuit.

Attendebant autem ipsi, propterea quod multo tempore magis ipsos exturbauerat. quando uero crediderunt Philippo auangelizanti de regno Dei, et nomine Iesu Christi, uiri et mulieres baptizabantur. Simon autem ipse quoque credidit, et baptizatus, non deserebat Philippum: spectansque potentias et signa fieri, obstupabat. Cum audiuissent autem apostoli qui erant Hierosolymis, Sammariam Dei uerbum accepisse, miserunt ad ipsos Petrum et Ioannem: qui cum descendissent, precati pro ipsis sunt, ut spiritum sanctum acciperent.

Aduertendum est non debere nos cum magis versari: quod si quis deceptus cum ipsis consueuerit, cito ab ipsis recedat. quippe cum si diutius perseueret cum ipsis quispiam, in exturbationem mentis inducatur, ut discernere uerum amplius nesciat. Hic igitur Simon obsequutus Apostolis cum esset magus, et sicut alij a Philippo uno ex septem cum multis baptizatus, non tamen per impositionem manuum Apostolorum spiritum sanctum admisit. Sed quid? qui a Philippo erant baptizati, spiritum sanctum non acceperunt? acceperunt quidem spiritum remissionis, sed signorum minime. Vnde Simon cum uideret per impositionem manuum eum dari, ad Apostolos accessit, ausus ab eis ipsum mercari. prius enim quam uidisset alios

spiritum signorum accipere, petere eum non audebat. Sed cur huiusmodi hominem Philippus baptizauit? quia etiã Iudam Christus elegerat. Cur eum nõ interemerunt, sicut Ananiam? quia uidelicet etiam in veteri testamento vnus tantũ Num: 15. d
qui ligna collegerat, ad aliorum castigationem morte fuit mulctatus: nullusque alius id p̄pessus est. Sciendum autem dum dabatur spiritus sanctus, mirabile quid contingere consueuisse qđ sensu percipiebatur. nam Simon nisi id uidisset, non accessisset petiturus. At vero cur cum nõ uidisset Apostolos pecunijs id agere, pecunias offerre ausus est? propterea qđ ignorantis id non erat, sed tentantis. vnde etiam Petrus ad ipsum, cor, inquit, tuum non est rectum: vt ostenderet ea quoque quæ in corde vase moliebatur, sibi non esse inexplorata. vide autem Simonus huius impudentiam. nam cum deberet petere vt spiritum acciperet, id non curabat: sed petit vt alijs dare possit: volebat siquidem clarior Philippo etiam videri. Philippus enim cum esset vnus ex septẽ, & minister, potestatem non habebat, vt per impositionẽ manuum dare spiritum sanctum posset. Nam verum hoc esse, & spiritum signorum nondum hos accepisse, inde perspici potest, qđ inquit, cum spectasset potẽtias & signa fieri obstupuisse, & accessisse, atque eum petĩsse.

Nondum enim in quemquam ipsorum inciderat: sed baptizati tãtum erant in nomen Christi Iesu. tunc imponebant manus super ipsos, & spiritum sanctum accipiebant.

Perspicuum hinc est eos qui a Philippo in Sa-
 maria fuerant baptizati, spiritum sanctum non
 accepisse: propterea quod id donum non habebat
 Philippus: cum esset, ut diximus, vnus ex septē.
 Hi siquidem septem potestatem quidem signorū
 faciendorum acceperant: non tamen alijs dare eū
 spiritum poterant: id enim præcipuum Aposto-
 lorum munus erat. Fortasse etiam spiritum san-
 ctum in baptizatos a se non deduxit Philippus,
 vel ob Apostolorum reuerētiā, munus id ipsi
 referuans: vel non quod esset vilis & indignus, qui
 pe cum etiam ipse & in curationibus morborū,
 & in eiectionibus dæmonum signa dicatur fecis-
 se: sed quia id nondum fuerat precatu, cum nō-
 dum illi ad eum suscipiēdum essent idonei. quā-
 doquidem etiam Simon ab eo baptizatus carna-
 lia adhuc cogitans oblati pecunijs dari sibi ab
 Apostolis potestatem petebat dandi spiritus per
 impositionem manuum cuiuscūque vellet.

*Cum uidisset autem Simon per impositionem ma-
 nuum dari ab Apostolis spiritum sanctum, pecunias
 ipsis attulit, dicens: date mihi etiam potestatem hanc,
 ut cuiuscumque manus imposuero, spiritum sanctum
 accipiat.*

Scelestus iste Simon non fidei causa oblati pe-
 cunijs sibi hoc petebat dari, sed ut prouentum
 inde pecuniarum sibi compararet. accessit enim
 ut accepta huiusmodi gratia per portenta & si-
 gna ditesceret, quorum antea speciem tantum per
 dæmones exercebat. Vel hoc faciebat tentans

Apostolos, quo accusationem postea in ipsos posset intendere. Vnde etiam ei dicitur: non est tibi portio in re hac. cor enim tuum rectum non est coram Deo. pœnitentiam igitur age, si modo tibi peccatum remittatur.

Petrus uero ad ipsum dixit: argentum tuum tecum sit in perditionem, quia donum Dei pecunijs existimasti comparare. non est tibi portio, neq; fors in re hac. cor enim tuum rectum non est coram Deo. pœnitentiam igitur age ab hac improbitate tua: & precare Deum, si modo tibi remittatur cogitatio cordis tui. in fel enim amaritudinis, & obligationem iniustitiæ te esse uideo. Respondens autem Simon dixit: precamini uos pro me ad Dominum: ut nihil eorum quæ dixistis, in me ueniat. Atq; hi quidem testati & loquuti uerbum Domini in Hierusalem reuersi sunt: & per multos uicos Samaritanorum euangelizarunt.

Argerū tuū tecū sit: non est hoc male imprecātis sed erudientis: perinde ac si quis diceret, argentum tuum simul cum proposito hoc tuo malo pereat. Præuidebat siquidem ipsum Petrus ad pœnitentiam non conuersum iri. ac propterea inquit (si modo remittatur.) nam qđ ille ait (precamini uos) non pœnitentiæ & conuersionis causa dicit: sed repudiationis, simul ut ea se obligatione exoluisset uideretur. nam ubi sunt lachrymæ & confessio: Hinc animaduerti debet, qđ graue peccatum sit, qđque magna pœnitentia indigēs, cum quis in Deum ipsum peccat; quemad-

modum hic Simon, qui spiritum sanctum pecunijs ad operationes inducendum arbitrabatur, ALITER. Non punit autem nunc Simonē Petrus, vt prius Ananiam, vt ostendat fidem nō esse eiusmodi, vt cogi debeat: tum vt pœnitentiā introducat. satis enim ad correctionem est, q̄ & Petrus ipsum arguerit, qđ q̄ in corde cogitabat, manifestarit: & ipse confessus sit. nam cum inq̄t (precamini vos pro me) confitentis est: quamuis non ex recto & vehementi affectu diceretur.

Angelus autem Domini loquutus ad Philippum est, dicens.

Cur eunucho non apparet angelus, ducitque ipsum ad Philippum: quia fortasse nō credebat, sed magis admiratione fuerat correptus: nō enim

Infr. 10. a erat vt Cornelius.

Surge & ad meridiem progredere in uiam quæ ab Hierusalem in Gazam descendit: ea est deserta. & cū surrexisset, abiit, & ecce uir Aethiops eunuchus unus ex Candaces reginæ Aethiopum proceribus, qui erat supra omnem gazam eius, uenerat adoraturus in Hierusalem: & in curru suo sedens reuertebatur, & legebat Esaiam prophetam. Dixit autem spiritus Philippi, accede, & adhære currui huic. cum uero accurrisset Philippus, audiuit eum Esaiam prophetam legentem, & dixit: nūquid intelligis, quæ legis? at ille ait: quo pacto id possum, nisi quis mihi præmonstrarit? et rogauit Philippum, ut ascenderet & consideret cum

ipso .argumentum autem scripturæ quam legebat, hoc erat .

Ad meridiem: non ab Hierosolymis ad meridiem sed ad Septentrionem ibat. a Samaria vero ubi Philippus vnus ex septem tunc morabatur, & docebat, meridiem versus tendebat hæc via. q̄ vero ait (ea est deserta) propterea inquit, ne Iudæorum occursum timeat. Mulieres vero illi Aethiopiæ tunc dominabantur: quarum vna ex successione erat Candace, cuius eunuchus regionū thesaurorum erat custos. Sciendum autem Aethiopus vnamquamq̄ regis matrem Candacen sole re appellare. nam patrem eorum non agnoscūt, sed Solis filios esse eos tradunt, singulorum vero matrem Candacen vocant .

Tanq̄ ovis ad iugulationem ductus est: & sicut Esa. 53. 7
agnus coràm tondente ipsum est mutus, sic non aperuit os suum. in humiliatione eius iudicium ipsius eleuatum est. generationem autem eius quis narrabit? quia tollitur a terra vita eius. Cum respondisset autē eunuchus Philippo, dixit: rogo te, de quo propheta hoc dicit, de se, an de aliquo alio? cum aperuisset autē Philippus os suam, incepissetq̄ a scriptura hac, euangelizauit iꝑsi Iesum. dum uero irēt per uiam, ad aquā quandam uenerunt: & ait eunuchus .

Hinc voluntaria Saluatoris nostri perpeſſio dispēſatarum rerum significatur. sicut ovis enim quē ducitur ad sacrificium, vel agnus coràm tōdente ipsum, nam dum necessitate & vi doma-

tur, ne balatum quidem edere, deditioem et cessionem pra se ferr: sic sponte ipse dum pateretur, tacebat. Cum autem inquit (in humiliatione eius iudicium ipsius eleuatum est) iudicium illud iniustum ostendit, quod occultata veritate contra ipsum factum est. Cum vero subiungit (generationem eius quis narrabit?) carere ipsum generationis serie & genealogia declarat. Nam genealogia generationisque explicatione carebat, vt Deus: quantum ad carnem autem spectat, erat genitus, vtpote in cōsu descriptus. Vel si de generatione et post resurrectionem intelligere velimus, hic erit sensus: gloriam qua ei post resurrectionem acquisita est, nobilemque eius dignitatē, quam dispensatorum perpeffio manifestauit, q̄s explicare oratione vnq̄ poterit: cū & ipsa mors subiecta sit, omnesq̄ in incorruptibilitatem gratia eius viuificentur, & fide redimantur? Deinde inquit, quia tollitur a terra vita eius: id est extollitur, altiorq̄ terrestribus & sublimior vita eius est: id est vita institutio et traductio. Tollitur itē alio modo, & supra omnes vita eius est, hoc est vnigeniti essentia: quando extra carnem consideratur, & nondum quantum ad nos attinet, genitus. Nam cum ipse in mortem sponte descenderit, subleuata a terra vita eius est, & suspensa, & supra cōelos ascendit. quoniam rex gloriae erat, & vita secūdu naturam, & Dominus potestatu: licet ex dispensatione qua vsus erga nos est, & uoluntaria exinanitione ignominias & infamias in passione in terra sustinuerit: id qd' caro exhibebat, qua ipsi in persona indiuisibili quadam ratione

fuerat uita, circa quam passio et ignominia cō-
 tigit, quæ cum contra Deum quidem incarnatū
 audacter fuisset illata, tangere tamen, id quod fie-
 ri nullo pacto poterat, impatibilē eius naturam
 non valuit. Hunc igitur esse Iesum, & in eo scri-
 pturam hanc fuisse expletā eunuchō Philippus
 euāgelizat. Quod cum ille credidisset, & statim
 fuisset baptizatus, in Aethiopiæ regiones dimis-
 sus est, id quod ipse crediderat, prædicaturus: Deū
 uidelicet vnum esse qui per prophetas denuncia-
 tur: eiusque filium humana forma iam aduenisse,
 & tanquā ouem ad iugulationem ductum fuisse,
 & reliqua, quæcūque de ipso dicunt prophetae. &
 tunc expleta fuit propheta, quæ dicit: Aethiopia
 manum suam Deo prius offerre præoccupabit. Psal. 67. 2

*Ecce aqua: quid prohibet me baptizari. Dixit au-
 tem Philippus, si ex toto corde credis, licet. at ille re-
 spondens, credo, inquit, filium Dei esse Iesum Christū:
 iussitque ut consisteret currus. descenderuntque utriusque
 & Philippus & eunuchus in aquam. & baptizauit
 ipsum.*

Animaduertendum hinc est, quod multum studiū
 sensibili baptismati adhiberēt, qui perfecte Chri-
 stianam pietatem profitebantur. Nam cum du-
 plex esset quæ dabatur baptismus, aliquando per
 aquam, aliquando in spiritu sancto & igni: ne-
 quaquam ob excellentiam eius spiritualis corporale
 hoc despiciebant: quippe cum ad salutem etiam
 hoc, & resurrectionem corporis conferat.

H

Quando uero ascenderunt ab aqua, spiritus Domini Philippum rapuit. & non uidit eum amplius eunuchus: ibat enim per uiam suam gaudens. Philippus uero in Azoto inuentus est. & pertransiens per urbes omnes euangelizabat, quoad uenit in Cesaream.

Non sine utilitate rapuit Philippum spiritus: quippe cum uoluisset fortasse cum eo ire eunuchus, & ipse renuendo et negando cum nondum esset occasio, molestiam ei attulisset. et simul Philippus ipse non parum erat lucraturus, cum id quod de Ezechiele & Abbacuch audierat, sibi quoque euenisse esset uisurus. Multam uiam autem pertransiisse ostenditur, siquidem in Azoto est inuentus. ibi enim eum spiritus constituit, ubi euangelizare posthac eum oportebat: atque inde in Cesaream que ipsum procreauerat, proficisci.

Ezech. 8. b
Dani. 14. f

De diuina uocatione Pauli ad apostolatam, & eius baptisma
te per Ananiam: de fiducia Pauli in predicando Iesu: de
coniunctione eiusdem cum apostolis per Barnabam:

De Aenea resoluto in Lyda sanato a Petro: de
Tabeta mortua ab eodem suscitata:
Cap. IX.

SAULVS uero cum adhuc spiraret minas et
cedem in discipulos Domini, accessit ad pontifi-
cem, & ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas
petijt, ut si aliquos inuenisset qui uix huius essent ui-
ros & mulieres, uinctos in Hierusalem perduceret.

Qui uix huius essent: uiam enim uocabant
fidem que ad Christum uerum Deum nostrum
nos deducit, quam predicabant apostoli: merito